

enim piūm existimare solemus maiori Dei familiaritate uti, qua hominibus in peccata, & flagitia quaecunque, effusis, carendum est. Hunc credimus nihil praecipitanter, & affectibus abreptum, statuere, sed omnia meditare, conscientia duce, scribere aut loqui. Quae pietatis specie postquam animos occuparunt, tum pergunt eosdem contemptu aliorum imbuere. Hos tanquam impios, κνεῦνα μὴ ἔχοντες, traducunt, qui, procul omni illuminatione, rationis tantum secuti ductum, nihil, praeterquam quod carnem sapit, intelligunt. Quibus tum artibus facile efficiunt, ut doctorum reliquorum verba ne quidem audire, nedum ad animum admittere, miseri sustineant. Declarant id superiorum temporum historiae, idemque hac nostra aetate Doctores, quibus cum ista hominum colluvie decertandum est, plus simplici vice, experiuntur. Calvinus in Epist. p. m. 62. ad Farellum, de Anabaptista quodam, suo impulsu capto, haec perscribit: *Expertus es quale sit hominum genus. Ego vero tam barbaram atrocitatem hactenus in nullo videram. Cum ego humaniter pro linguae meae more eum compellarem, nunquam aliter dignatus est mecum loqui, quam se cum cane sibi negotium fuisset.* Sed hic nondum furor quiescit. Pergunt multa de seductorum commemorare felicitate, quod ea nunc videant, quae tot, tantique, Doctores ignorent. Inde fastum animo concipiunt, & in vanam, de sui ipsius dignitate, & praestantia, persuasionem coniciuntur. Cumque ita satis superque homines fascinarunt, adiurationibus, dirisque, eos adigunt, ne desertis, quas complexi sunt, partibus, aliis sese in disciplinam tradant. Unicum saltem in dictorum confirmationem, exemplum afferam, quod nobis sistit Io. Henr. Ottius, in Annalib. Anabaptisticis p. 283. Foemina quaedam Magdale Bachmannia, etsi ad qualemcunque errorum Anabaptisticorum agnitionem perduceretur, eo tamen adduci non potuit, ut coetui Reformatorem interesset. Cuius rei rationem Pastori illius loci hanc dabat: *Sie habe* (ut verbis utar, quae ex diario, secum communicato, Ottius adducit) *sich so hoch und theuer bey denen Täufern verloben müssen, dass sie ja fürchten müsste, Sie hätte hier und dort kein Glück, so sie in unsere Predigen gienge. Hat deswegen mit viel Betben und Weinen erlanget, dass man sie (den 21. Octobr.)*
der